

I. N. D.
DISSERTATIO ACADEMICA,
exhibens

Τὸ
ΠΑΝ ΕΝ ΔΥΣΙ
Aristotelis,

b. c.
ID QVOD IN- ET
EXTRA SUBJECTUM EST,

Quam
MODERANTE SUBSTANTIA PRIMA

ad
Ampliff. Facultatis Philosophicæ Consensum,
IN ILLUSTRISALANA
SUB PRÆSIDIO

VIRI CL.

DN. M. JOH. ADOLPH.
FRÖHNII, Mülhuf.

Facult. Phil. Adjuncti,

Publico Philosophantium Examine submittee

JOH. MARTINUS *Stattermann*/
Meininga-Henneberg.

A. & R.

ad d. Sept. cIdo Ioc LXXVII.

GENÆ, Typis JOHANNIS WERTHERI.

DISSERTATIO ACADEMICA

exhibenda

1770

ΠΑΝ ΕΝ ΔΥΣΙ

Αριστοτελῆ

ΠΡΟΟΔΟΥ ΕΝ

ΕΠΙΣΤΗΜΟΛΟΓΙΑ

ΕΠΙΣΤΗΜΟΛΟΓΙΑ

ΑΝΤΙΣΤΡΑΦΕΙΝ

ΕΠΙΣΤΗΜΟΛΟΓΙΑ

JOH. M. JOH. ADOLPH.

FR. O. N. M. M. M.

FR. O. N. M. M. M.

JOH. M. JOH. ADOLPH.

FR. O. N. M. M. M.

FR. O. N. M. M. M.

FR. O. N. M. M. M.

JOH. M. JOH. ADOLPH.





I. N. J.

§. I.

Deprehenderunt Philosophi DUO in hoc universo: Quædam nempe Entia tantò existendi pollere viderunt robore, quò *per se subsistere*, possint, quædam verò tantà laborare infirmitate, ut aliis necessariò inbareant, nec seorsim subsistere queant. Observârunt quippe variarum rerum alterationes &, quoad accidentia, vicissitudines, neque tamen propterea res mutationi accidentali substratas amittere esse singulare senserunt. Hinc pronâ intulerunt viâ in rebus ita variatis aliam dari entitatem, per quam quælibet res subsistat, & unum quoad essentiam maneat ens, atque hanc dixerunt SUBSTANTIAM, vel quod *per se subsisteret*, vel quod *accidentibus substaret*; alias verò entitates ad essentiam extrinsecus quasi accedentes conspexerunt, quas appositè vocarunt ACCIDENTIA, quòd *illorum præsentia nihil faceret ad suppositi constitutionem, sed tantum accessorium*, offerret complementum supposito jam constituto seu naturæ substantiali superadditum. Hujus intuitu Philosophorum Princeps universum hoc in Substantiam & Accidens divisisse, & τὸ ΠΑΝ ΕΝ ΔΥΟΙ h. e. UNIVERSUM IN DUOBUS posuisse, distichò hòc tritissimò & in triviis noto dicitur:

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,

In duo divisit, quicquid in orbe fuit.

§. II. Certum proinde jam temporis est apud plerosque, Substantiam & Accidens exhaurire omne Ens. An autem Substantia & Accidens sint veræ Entis species? & an Ens, in ordine ad Substantiam & Accidens sit verum genus? in hoc Autores nò conveniunt, quibusdam affirmantem, negantem verò quibusdam amplectentibus partem. Ut pateat, quibus nos subscribamus, prænotamus (1.) *genus nonnullis Logicis esse, quod*

A 2

de

de pluribus essentialiter differentibus verè, *divisim, univocè, cum sui multiplicatione* & in quid predicari potest: Et speciem stric-
tissime sumtam esse eam, quæ de pluribus solò numerò differenti-
bus in quid predicari potest. Secundum has generis & speciei
accepciones neque Ens erit verum genus, neque Substantia &
Accidens veræ species. Ens enim de pluribus quidem prædi-
catur, sed non univocè, verùm tantum analogicè, per prius ni-
mirum de Substantia, per posterius verò de Accidente, de quo
in sequentibus. Et substantia mediatè sub Ente contenta, im-
mediatè quidem de pluribus prædicatur, ast non solò numerò,
sed & specie differentibus. Pariter accidens immediatè sub En-
te contentum, non de pluribus solò numerò differentibus affir-
matur, sed & de omnibus, exceptâ substantiâ, summis Prædica-
mentorum generibus. Observamus (2.) Speciem dici quodlibet
inferius, relatum ad prædicatum essentialiter superioris, quo sensu
species dantur subalternæ, quæ manere dicuntur genera in or-
dine ad sua inferiora. Et Genus quibusdam Logicis est prædicatū
essentiale superioris, sive equaliter sive inequaliter de essentialiter
differentibus affirmetur, quo in sensu nō solū in Categoriarum
serie, sed & in classibus prædicatorum transcendentalium dan-
tur conceptus generici & specifici. Hōc modō Ens erit verum
genus, nec non Substantia & Accidens veræ species. Ad verum
enim genus hōc modō acceptum sufficit, si de suis inferioribus
divisim, cum sui multiplicatione essentialiter & in quid enuncie-
tur, quod Enti in ordine ad sua inferiora competere nulli non
evidens est. Quærenti enim, quid sit Substantia? quid Acci-
dens? respondemus, quod sint Entia. Similiter ad veras spe-
cies sic sumtas sufficit, si tanquam inferiora sub prædicato es-
sentialiter superiori contineantur. Sententia posterior majori
suâ probabilitate nos in assensum trahit, non solū enim nul-
las cernimus rationes, cur genus analogum non sit verum ge-
nus, sed & genera nonnulla prædicamentalia, quæ omnium,
consensu vera sunt genera, analogæ esse animadvertimus. Con-
sideret quis habitudinem qualitatis ad potentiam naturalem &
habitum, vix dissentiet. Quod autem Substantia & Accidens
tanquam inferiora immediata sub Ente contineantur, ita pro-
bat

bat Suarez. *Disp. 32. Sect. 1. n. 5.* *Ens vel est tale, ut nulli alteri accidat, vel est tale, ut alicui accidat, seu ut alicui Enti adhaereat, illudq; afficiat accidentaliter, seu extra essentiam ejus. Quicquid priori modo se habet, sub ratione substantiae comprehenditur, quod autem posteriori, sub ratione accidentis. Inter haec duo membra medium dari nequit: nam immediatam includunt contradictionem, ut ex verbis propositis constat. Modum, cui à nonnullis tertius inter substantiam & accidens locus tribuitur, in se vel substantiam vel accidens esse arbitramur.*

§. III. Novam hic movent difficultatem ii, qui substantiam & accidens ad affectiones Entis disjunctas revocant. Ut huic satisfiat, notandum, quòd affectionis disjunctae membra considerari possint dupliciter: (1.) quatenus sub conjunctione de essentia rei affirmantur, & cum eadem recipiuntur: h. m. membra disjuncta disjunctam constituunt affectionem. (2.) quatenus sumuntur seorsim, ita ut quodlibet eorum subjiciatur subjecto, quod de singulis seorsim sumtis essentialiter enunciatur: h. m. membra disjuncta diversas constituunt species sub subjecto, ut sub genere, contentas. Quando proinde substantia & accidens sub conjunctione disjuncta de Ente enunciantur, & cum eod. recipiuntur, constituunt affectionem Entis disjunctam. Affectio erit hæc: *O. Ens vel est substantia vel accidens, & quicquid est substantia vel accidens, est Ens.* Vel, si concretivè formetur, (in se tamen & quoad rem idem dicitur, seu abstractivè seu concretivè enunciatur,) hanc habebit faciem: *O. Ens est vel per se existens, vel est existens in alio ut in subjecto* & ad hæc, & contra. Quando autem seorsim sumuntur, prout Enti subjiciuntur, & Ens de quovis seorsim sumto universaliter affirmatur, Entis species constituunt, omnis substantia est Ens, & omne accidens est Ens. Reperunt hîc, affectiones tamen communiter contradistingui solere speciebus. Sed Resp. hoc universaliter sumtum falsum esse, particulariter verò & de aliquibus saltim affectionibus unitis sc. posse concedi. Affectio unita nunquam est species sui subjecti, attamen affectionis disjunctae membra species esse posse quid repugnet, vix deprehendimus.

§. IV. Ex dictis remanet, Ens, cujus affectio est vel per

se existere vel existere in alio ut in subjecto *ἑαυτῶν*, de substantia & accidente certò modò ut de *speciebus* enunciarì, adeoque non æquivocè de iis dici. In confesso enim est, quòd Ens non solùm quoad nomen, sed etiam quoad rem per idem denotatam de substantia & accidente affirmetur. Quia autem Ens substantiæ & accidenti non quoad nomen duntaxat, sed etiam in eodem significatu competit, ita tamen, ut de substantia *primariò*, *secundariò* verò de accidente prædicetur, patet, quòd Ens non sit aliquid univocum, sed *analogum*. Conveniunt enim in hoc, quòd utrumque, tam univocum quàm analogum, idem nomen pluribus in eod. significatu tribuat, differunt autem, quòd *univocum æqualiter*, *analogum* verò *inequaliter* id faciat, uni nimirum, ut dictum, *primariò*, alteri verò, vel aliis, si plura adfunt, *secundariò* (vel ob dependentiam conservativam ab illo, vel ob majorem nobilitatem, ad quam res ignobilior ex sua natura ordinetur) nomen & rem denotatam tribuens. Intelligitur autem hïc analogia *non proportionis, nec attributionis extrinsecæ*: cum utraque hæc sit æquivocationis species; sed *analogia attributionis intrinsecæ*, quã nim. forma denominans utrique membro inest, ita tamen, ut in uno plus importet imperfectionis quàm in altero. Talis analogia reperitur in *Creatore & Creatura*, de quibus prædicatur substantia intrinsecè, ita ut utrique intrinsecè competat, *primariò* tamen de Deo, *secundariò* autem & propter dependentiam conservativam à Deo de *Creatura*. Conf. *Disp. ad Loc. Theol. Hutt. II. qu. 2. Obs. 3. §. 3. Maxime Reverendi atque Excellentissimi Dn. D. STEMPPEL, Patroni, Promotoris ac Præceptoris mei omni observantia cultu atatem devenerandi*. Idem sentiendum de substantia & accidente. *Ens* quippe utrique *intrinsecè* inest, ita tamen, ut substantia quoad sui existentiam non indigeat subjectò *ἑαυτῶν* conservativò, accidens autem ad sui existentiam utique indigeat subjectò conservativò, substantiã sc.

§. V. Hæc de distinctione Entis in substantiam & accidens. Nunc ad specialia, quorum causã potissimum hæc Disseratio instituitur, pedem movemus, membra dividentia seorsim consideraturi,

§. VI.

¶ VI. Et iure quidē prius agendum erat de *substantia*, cūm
& *tempore* & *naturā* prior fuerit *accidente*. Nihilominus tamen
ab *accidente*, tanquam *nobis* manifestiori & cognitu faciliori,
considerationis telam ordiemur. Præcipuē cūm ex *progressu* ne-
gativo ab *accidente* ad *substantiæ* cognitionem perveniamus. vid.
Suarez. Disp. 38. Sect. 1. n. 2. Sicut enim *accidens* dicitur esse
in altero tanquam in *subjecto*, sic ex opposito, *substantia* non
dicitur esse in alio tanquam in *subjecto*. Cognitō autem quid
sit esse in alio tanquam in *subjecto*, faciliē quoque cognitio e-
vadet ejus, quod non est in alio tanquam in *subjecto*.

¶ VII. Communiter autem *Accidens* dividi solet in *ac-
cidens predicabile* & *predicamentale*. *Predicabile*, ut ex *Logicis*
notum, opponitur *essentiæ* seu *essentia*, quatenus nim. omne
id *accidens* vocatur, quod cūm alicui competat, non est *essentia*, vel
de *essentia* illius. Fit autem hoc bifariam, (1.) ut quidem non sit
ipse primus rei *conceptus*, (hūc enim *essentiam* alicujus dici-
mus,) nec de *essentia* illius, seu de primo rei *conceptu*, interim ta-
men ex illo fluat & reciprocē atque necessariō de eo *predicetur*,
quod *accidens* dicitur *proprium*. (2.) ut non sit ipse primus rei
conceptus, nec de primo rei *conceptu*, neq; ex eo fluat & cum eo re-
ciprocetur, & hoc dicimus *accidens commune*, quantum *pra-
dicabile* constituens. *Accidens autem predicamentale* dicitur,
quatenus opponitur *substantiæ*, de quo in præsentī.

¶ VIII. Est autem h. m. *Accidens*, quod est in alio tanquam
in *subjecto*. Ut rectiūs hoc intelligatur, prænotandum, & quid
sit *subjectum*, & quid, esse in alio tanquam in *subjecto*, denotet. Per
subjectum verō seu *ὑποκειµενον*, ita enim ab *Aristotele* dicitur,
intelligitur h. l. *subjectum ὑποκειµενος* seu *inhesionis*, cui *accidens*
verē inexistit, & opponi solet (1.) *subjecto ἰσῆας*. Distinguunt
enim nonnulli inter *ἑναι ἐν τινι ὑπὸ ὑποκειµενου* & *ὑποκειµενου ἐν τινι*, quæ non-
nunquam idem denotant, nonnunquam verō diversum. Prio-
ri enim phrasi quandoque significatur inexistētia *substantiæ*
in *substantiā*: Sicut ignis dicitur esse in ligno, aurum in locu-
lo, aqua in spongia, quæ tamen posteriori modō in alio non
sunt. (2.) opponitur *subjecto κατὰ ἰσῆας*, quod scil. alteri in pro-
positione *subjicitur*, seu, de quo alterum *predicatur*. Quamvis e-
nim

nim de subjecto *ὑποκειμένου* non raro accidens in concreto enuncietur, attamen formaliter adhuc distinguuntur subjectum *ὑποκειμένου* & *κατηγορίας*. (3.) opponitur subjecto informationis, cui forma substantialis verè inexistit, quæ tamen ideo accidentis nomen non sortitur, quia tanquam pars essentialis subjectum, ut alteram partem essentialem, respicit. Porro hoc subjectum *ὑποκειμένου* Autores dicunt debere esse non tantum unum quid, ut excludatur Totum, quod non sit in aliquo, *ἐν τινι*, sed *ἐν τινι* in aliquibus; sed etiam tale quid, quod digitò quasi possit monstrari. Hinc addunt per subjectum h. l. indigitari substantiam ex materia & forma compositam, qualis est corpus physicum; inprimis autem primam intelligi substantiam, eamque compositam. Sed cum grano salis hæc Autorum assertio est accipienda, utpote quæ non tam veritatem, quàm mentem Græcorum & Aristotelis exprimere conantur. Interim non saltem nihil obstat, quò minus substantiæ Spirituales etiam substantiæ dicantur, ut rei necessitas id asserti in finitis flagitet, cum in spiritibus creatis accidentia inveniamus, quæ sine subjecto nec subsistunt nec subsistere valent.

§. IX. Ad id, ut aliquid dicatur esse in subjecto *ὑποκειμένου*, requiritur I. ut reverà & propriè insit. Hæc limitatione nonnulli excludi dicunt genus & speciem, quæ quidem etiam inesse dicuntur, nim. genus in specie, & species in individuis, sed non per modum accidentis. Verùm an præcisè hæc ipsâ restrictione genus & species ab accidente, ex nonnullorum placitis, liberari possit, dubito; cum ex mente eorum, qui universalia citra mentis operationem in individuis reperiri contendunt, genus & species reverà insint individuis, ita ut extra illa nullo modo existere valeant. Eximi aliâ ratione gen^o & species ex accidentiũ numero posse ostendemus in restrictione tertia. Dictâ autem limitatione præcisè excluditur inexistencia metaphorica, itemq; nominalis & conceptibilis, quæ propriè termino *ὑποκειμένου* seu in hætionis exprimi nequit, nec enim dives propriè in hæret divitiis, nec res cognita propriè & reverà inest intellectui cognoscenti.

§. X. Ut aliquid alteri tanquam subiecto *ὑποκειμένου* insit, requiritur II. ut non possit esse extra illud. Id quod Arist. innuit, quando dicit, quòd accidens sit *ἀποχωρητικόν* *χωρὶς ἐν ᾧ ἐστίν*, quòd non possit esse sine eo, in quo est. Sæpe enim aliquid est in altero, ut tamen extra illud existere possit, quod propterea ei, ut subiecto inhaesionis, non inest. Sic nucleus verè existit in putamine, non tamen est in eo, ut in subiecto inhaesionis, quia extra illud esse potest. Propriè proinde & strictè demum subiecto *ὑποκειμένου* inexistere dicitur id, quod præter inhaesionem simul involvit negationem existentiae extra illud. Probè autem hinc distinguenda sunt distinctissima: existere posse extra subiectum, & à subiecto abesse posse. Id quod alteri tanquam subiecto inhaesionis inest, abesse quidem ab eodem potest, salvâ manente subiecti essentiâ, eruditio enim v. g. omnino à subiecto, intellectu sc. humano, abesse potest, non tamen separatim existere. Intellego autem hinc subiectum non mediatum sed immediatum. Accidens enim non tantum à subiecto mediato abesse potest, sed etiam extra illud separatim existere. Sic nigredo à corvo, cui tanquam subiecto mediato inesse dicitur, non tantum abesse & separari, sed & separatim in deductis plumis existere potest, salvâ manente corvi essentiâ. Non tamen similiter idem accidens extra subiectum immediatum existere potest, nigredo enim, quæ tanquam accidens plumis ut subiecto immediato inest, ab iis separari & extra eas in rerum natura existere nequit. Separatio propterea accidentis in ordine ad subiectum immediatum dicitur non-mutua. Est enim separatio mutua, cum utrumque separatorum post separationem remanet. Separatio verò non-mutua, cum alter utrum separatorum post separationem non remanet, quomodo separari cernimus accidens à subiecto suo immediato.

§. XI. III. requiritur præter negationem existentiae extra subiectum, eiusdem quoque, quod alteri tanquam subiecto *ὑποκειμένου* inesse dicitur, sub ratione partis negatio. Seu, ut eadem non insit tanquam pars (1) essentialis seu Physica, seu Metaphysica. (2) integralis. (3) subiectiva. Non debet esse, pars essentialis physica & quidem (a) non materia, quia hæc est ipsum

B

psum

plium subiectum, ideo in alio subiecto non recipitur, & conse-
 quenter quamvis corpori naturali revera inest, non tamen ipsi
 inest ut subiecto. (2) non forma substantialis, quæ quidem in-
 est composito physico, ut in eo respiciat materiam tanquam
 subiectum informationis, ipsi tamen composito naturali, ut
 subiecto *ὑποκειμένου*, non inest, quia est ejus pars. Non pars
 essentialis Metaphysica, quæ vel genus vel differentia est. Sic
 animalitas & rationalitas non insunt homini ut subiecto
ὑποκειμένου, quia ipsum ut partes essentielles Metaphysicæ con-
 stituunt, alias enim essent hominis accidentia, quod tamen
 nemo sanus concedet. Non integralis, eaque vel similis vel
 dissimilis, vel principalis vel minus principalis. Sic ossa, caro,
 tanquam similes, caput & cor, tanquam dissimiles & prin-
 cipales partes homini revera insunt, & quidem ita, ut quæ tales
 extra eundem esse nequeant, (manus enim v.g. abscissa non est
 manus, nisi solâ nominis communiōe: alioquin manus li-
 gnea, quæ eandem habet figuram, esset verè manus, & statua
 lignea verum corpus humanum, Fons. l. 7. c. 16. in Metaph.
 Arist. p. 411.) attamen homini, ut subiecto *ὑποκειμένου*, inesse
 non dicuntur.

§. XII. Ad id, ut aliquid alteri tanquam subiecto *ὑποκειμένου*
 inest, requiritur IV. ut cum eo non constituat aliquod tertium,
 quod sit ens per se. Dupliciter autem ens per se consideratur,
 (1) quatenus planè ex nullis partibus est compositum, quod h. l.
 non intelligitur. Quod enim omninò est simplex, illud ex
 plurium concursu constitutum esse nequit. (2) quatenus ens
 per se habet partes, ita tamen, ut illæ ad se invicem in eodem ge-
 nere naturaliter ordinate sint. Sensus proinde h. l. est, quod
 illud, quod alteri, ut subiecto *ὑποκειμένου*, non inest, extra illud
 tamen esse nequit, naturaliter ad illud ordinetur, ut pars ad
 partem, & quidem in genere substantiarum ad constituendam
 substantiam compositam. Quando autem accidens inest in
 subiecto, nunquam ei inest, ut cum eodem constituat ens per
 se, sed semper ens per accidens. Adducitur hæc restrictio pro-
 pter formas substantiales materiales, immaterialibus, quæ sunt
 spiritus, contradistinctas, quæ communiter Philosophis dicun-
 tur

tur educi è potentia materia, h. e. dependere à materia in fieri,
 conservari & operari, seu in materia fieri, in materia conservari,
 inque eadem operari. Vulgariter enim rō educi è potentia mate-
 ria explicant per essentialem & perpetuam dependentiam rei à ma-
 teria, quā res non solum in materia fuerit facta, sed & in materia
 conservetur, & extra eam esse nequeat, nec operetur nisi in mate-
 ria. Hinc formas materiales restrinxerunt ad materiam, ipsis
 denegantes omnem aptitudinem existendi extra materiam &
 naturalem & obedientialem. Negârunt enim vel naturaliter
 formas materiales extra materiam existere posse, vel supernatu-
 raliter per specialem DEI operationem. Pertinent ad has a-
 nimæ & vegetativa & sensitiva, quæ materiæ insunt & extra,
 eandem esse non posse dicuntur, neque tamen sunt partes ma-
 teriæ. Hinc quando objicitur, E. tales formæ erunt accidentia,
 Resp. negando ex hâc ipsâ limitatione quarta, quod nimirum
 ita insint subjecto, ut cum eodem constituant ens per se; anima
 nempe vegetativa cum corpore organico plantam, sensitiva,
 vero animal.

§. XIII. Tandem ut aliquid sit in aliquo, tanquam in sub-
 jecto, requiritur, ut sit vel aliud ab ipso, vel ut insit rei finite, vel
 ut illud, cui inest, non vicissim sit in ipso eodem modo. (1) requi-
 ritur, ut illud, quod alteri inesse dicitur ut subjecto *ἡ ἀπὸ τοῦ*
 sit aliud ab ipso; Dicitur autem aliud, secundum famosum si-
 gnificatum & absolute positum, id, quod habet essentiali numero
 ad minus diversam aut distinctam ab altero, *Stal. in Disc. ad*
Tab. Metaph. 3. §. 12. Sensus igitur hujus prioris restrictio-
 nis est; illud demum alteri, ut subjecto *ἡ ἀπὸ τοῦ* inesse,
 quod essentialiter distinguitur ab eo, cui inest. (2) requi-
 ritur, ut subjectum *ἡ ἀπὸ τοῦ*, cui aliquid inesse dicitur, sit fini-
 tum. Subjecto enim *ἡ ἀπὸ τοῦ* semper superadditur accidens
 realiter ab ipso distinctum, quod per veram passionem in eo
 recipitur. Infinitum autem passionis minime capax est. Id
 enim, quod susciperetur in ente infinito, vel perficeret illud, vel
 destrueret; posterius dici nequit, cum ens infinitum, dum nec
 fines habet, nec habere potest, destrui, h. e. ad certos existentia
 fines redigi nequeat. Prius autem implicat, foret enim ens in-
 fini-

finitum finitum, quod tamen fieri nequit. Infinitum enim est, quod sicut nec essentia, sic nec perfectionum fines habet seu terminos. Quod autem perfectionis terminos non habet, illi nec superaddi potest quippiam, à quo perficiatur. (3) postulat restrictio, ut id, cui alterum ut subiecto *ὡς ἐπὶ τὸ εὖ* inesse dicitur, ipsi non vicissim insit eod. in existendi modo. Accidens enim proprie est in subiecto, subiectum verò vice versa vel plane non, vel non nisi improprie accidenti inesse dicitur. Hisce limitationibus occurrere poterit iis, qui accidentis naturam Mysterio Trinitatis ausu frivolo inferre laboraverint.

§. XIV. Cui quinque hæc recensita requisita competunt, illud *Accidens* appellare Philosophis placuit. Hinc talis *Accidentis* provenit definitio: *Accidens est Ens alteri subiecto, à quo essentialiter distinguitur, extra quod esse nequit, cuius non est pars, & ad quod per modum partis naturaliter non ordinatur, ut cum eo non constituat Ens per se, revera in existens.*

§. XV. Ex dictis patet, de essentia *Accidentis* esse *in-existentiam* seu *inherentiam*, quæ communis etiam *Peripateticorum* vox est. Dicat quis, *inherentiam* esse posteriorem essentia accidentis, cum prius accidens essentiam habere debeat, quàm *inherentiam*. Sed respondeo, essentia accidentis genericam *inherentiam* esse posteriorem, essentia autem accidentis specificam posteriorem esse *inherentiam* tamdiu negabitur, quamdiu nulla alia poterit dari accidentis essentia, quàm quidem ipsa *inherentia*.

§. XVI. An autem *inherentia actualis* accidentibus sit necessaria, ita ut ipsa esse nequeant, nisi in subiecto existant, controvertitur. Vbi observetur, non quæri, an fieri possit naturaliter, ut accidentia à substantiis separata per se subsistant? Ad unum enim omnes Theologi pariter atque Philosophi illud naturaliter esse impossibile affirmant. Sed quæritur an *super-naturaliter accidens extra subiectum existere possit*? Ubi non omnes idem sentiunt. Philosophos Pontificios, in affirmantem ut descendant, jubet eorum in Cæna Domini *transsubstantiatio*. Docent enim unanimi consensu, panem & vinum Eucharisticum mutari in corpus & sanguinem Christi, manentibus pa-

nis & vini accidentibus, quæ ipsa extra subjectum existere dicunt. Sed si hoc, quid respondebunt nobis quærentibus, quomodo pane in corpus & vinò in sanguinem Christi mutatis, vel hostia vel calix venenò potuerit infici? Testantur autem historiae, venenò eucharistia admixtò Heinricum VII. Imperatorem fuisse extinctum. Stante hypothefi Pontificiorum, vel ipsum corpus Christi venenò fuit infectum, vel sola accidentia; tertium enim ex ipsorum concessis non datur, quod venenum possit recipere: Prius autem quilibet cordatus Theologus asseret, *impium*: Posterius satis est *ridiculum*; quomodo enim rotunditas, aut albedo absque omni corpore venenò poterunt infici? E. hòc ipsò aut *impii evadent Pontificii aut ridiculi*. Porro, quomodo quæso calix congelascere poterit? Aut enim sanguis Christi congelascet, vel sola vini residua accidentia, sapor nim. odor, color &c. Prius itid. ne ipsi quidem Pontificii concedent; posterius autem *absurdum*, siquidem congelascere nihil potest nisi induretur ex nimio frigore, quomodo autem color, sapor & odor frigore condensari possunt, cum nullæ partes *humida*, quæ tamen *neccessario ad congelationem requiruntur*, jam amplius, ex propria Pontificiorum mente, adsint, vinum enim ex partibus humidis constans mutatum fuit in sanguinem Christi. Quomodo tandem hostia à mure devorari poterit? vel enim devorabitur corpus Christi vel saltim panis accidentia. Prius asserere religiosa mysterii sacramentalis prohibet veneratio; posterius autem cuilibet apparebit absurdum; quomodo enim albedo, quomodo quæso rotunditas absque omni corpore poterit devorari?

§. XVII. Sunt nonnulli ex *Nostratibus* quoque Philosophis, qui *accidens extra subjectum supernaturaliter existere posse*, quamvis animò à Pontificiorum alienissimò, defendunt. Non pauci tamen id negant. Quorum sententiæ satis probabili & nos in præsentem subscribimus, & probamus eandem (1) *ex specifica substantiæ differentia*. Extra subjectum per se existere est differentia specifica substantiæ: Substantia enim, ut in sequentibus dicitur, describi solet *Ens per se existens*. Sed tam *arcta est commexio inter differentiam specificam & speciem*, ut

differentia specifica unius speciei tribui sine contradictione alteri speciei non possit. Differentia enim specifica oppositarum specierum involvunt rationes contradictorias. Absurdus autem est, qui rationes contradictorias eidem rei tribuit, v. g. speciei humanae differentia specifica est rationalitas, quae tam arctè cum homine conjungitur, ut sine contradictione oppositae speciei brutorum tribui non possit. Si enim rationalitas tribueretur bruto, cujus differentia est irrationalitas, brutum esset rationale & irrationale, quae contradictio est evidentissima. Hinc brutum rationale & homo irrationalis involvunt contradictionem in adjecto. Similem in modum quia differentia specifica substantiae est, per se extra subjectum existere, ideo sine contradictione accidenti, utpote speciei substantiae oppositae, extra subjectum per se existere tribui nequit. Accidentis enim h. m. fieret substantia, si differentia specifica substantiae ei competeret. Nam cui differentia specifica rei competit, eidem quoque ipsa ratio speciei denegari nequit. Sed contradictio est, accidens esse accidens & tamen esse substantiam, E. contradictio quoque est, accidens esse accidens, & tamen per se extra subjectum existere. Argumentum formale redit huc: Quicquid est differentia specifica unius speciei sine contradictione alteri speciei oppositae tribui nequit. Sed per se extra subjectum existere est differentia specifica unius speciei entis, substantiae nempe. E. per se extra subjectum existere alteri speciei oppositae entis, accidenti nempe, sine contradictione tribui non potest. Porro, quicquid involvit contradictionem veram, illud nec naturaliter nec supernaturaliter fieri potest. Sed accidens per se extra subjectum existere involvit contradictionem veram, ut ostensum. E. nec naturaliter nec supernaturaliter fieri potest, ut accidens per se extra subjectum existat. Sicut enim DEUS facere non potest, illa quae verè sunt impossibilia, ita quoque facere non potest ea, quae contradictionem implicant, cum id quod contradictionem implicat, sit impossibile, & per hoc ab objecto potentiae divinae eximatur.

(2) *Inductione per omnia ferè accidentium genera impossibilitas accidentis ad per se existendum extra subjectum pariter ostendi potest: quantitas est extensio seu positio partium materialium*

extra

extra partes, anne autem sibi quis imaginari poterit positionem partium absque partibus? *Scientia* est ex numero *qualitatum*, itemque *figura rei quantæ*, concipiat autem quis sibi scientiam absque sciente? *Scientia* est promptitudo intellectui superaddita ad demonstrationes promptè formandas, anne autem promptitudo principii activi existere poterit extra principium activum? concipiat similiter quis figuram absque omni subiecto quanto. *Paternitas & filiatio* sunt accidentia ex genere *relationum*, quæ sicut concipi non possunt extra sua subiecta, sic quoque extra illa existere nequeunt. *Paternitas* est essentialiter habitudo generantis ad genitum; & *filiatio* habitudo geniti ad generantem: quomodo autem habitudo rei ad aliud existere poterit extra rem, quæ respectum ad aliud involvit? *Visio*, quæ ab oculo peragitur, est accidens ex genere *actionum*: quomodo autem visio oculi existere poterit extra oculum absque omni subiecto? *lesio pedis* est accidens ex genere *passionum*. Concipiat autè sibi quis læsionem pedis absq; omni pede? De reliquis prædicamentis accidentium res adhuc est manifestior, quia ipsis saltim certi modi seu habitudines indigitantur. Sic *habitudo corporis ad locum* dicitur *Ubi*: anne autem talis habitudo corporis extra corpus absque omni subiecto existere poterit? *Habitudo rei durantis ad tempus* dicitur *Quando*. Anne autem rei durantis habitudo extra rem durantem existere poterit? *Habitudo partium extensarum ad se invicem* dicitur *Situs*. Quomodo autem habitudo partium ad se invicem absque omnibus partibus existere poterit? Tandem *habitudo rei adjacentis ad corpus* dicitur *Habitus*. Quâ ratione autem dabitur adjacentia rei absque adjacente? Cum igitur ex inductione per omnia accidentium prædicamenta ostensum sit, vix aliquod accidens in ulla serie prædicamentali concipi posse extra omne omninò subiectum, ideò nec extra omne subiectum existere posse concludimus, quia quæ à se invicem realiter separari possunt, separatione mentali ut separata quoque concipi possunt.

§. XVIII. Sequentibus autem contrarium statuentes videntur rationibus: (1) quòd *existentia accidentis extra subiectum,*

tum, cum nec ex parte DEI, nec ex parte rei involvat contradic-
 tionem, supernaturaliter & per specialem DEI operationem pro-
 curari possit. Ex parte DEI contradictionem non involvere
 probant ita: DEUS, qui sustentat accidens interveniente sub-
 jecto, quod ipsum à DEO sustentante dependet, accidens quo-
 que immediatè sustentare potest absque subiecto: Quod enim
 DEUS potest per causam secundam, illud quoque potest absque
 ead. concurrente. Ex parte rei contradictionem non invol-
 vere probant hunc in modum: Entia absoluta, qualia sunt,
 accidentia pleraque, existere possunt, si non naturaliter, tamen
 supernaturaliter extra alia entia: quia entia absoluta essentia-
 lem & necessarium respectum ad se invicem non involvunt.
 Sed Resp. ad (1) falsum esse, DEUM quodlibet, quod per causas
 secundas potest, posse etiam absque eisdem: Sic DEUS median-
 tibus pedibus corporis organici producere potest ambulationem,
 quam tamen absque eisd. producere nequit. Nequit
 DEUS producere visionem absque oculo, quam tamen medi-
 ante oculò utique potest producere. Ad essentiam enim ho-
 rum effectuum requiritur, ut ab hac vel illa causa dependant,
 sicut de essentia ambulationis est, quòd producat à pedibus,
 & de essentia visionis propriè sic dictæ, quòd fiat per oculum,
 cum sit perceptio coloris per speciem in oculo receptam. Si-
 milem rationem involvit accidens. De ejus enim essentia est
 ut inhaereat, & propterea fieri nequit, ut DEUS, qui accidens
 per subiectum sustentat, idem sustentet absque subiecto, aliàs
 enim mutaretur accidentis essentia, accidente in suo genere,
 permanente, quod contradictionem involvit. Ad (2) Resp.
 omne ens merè absolutum, & neque transcendentalem neque præ-
 dicamentalem respectum habens, existere posse absque alio ente.
 Quamvis autem concedatur, quòd accidens in ordine ab sub-
 jectum non involvat respectum prædicamentalem, transcen-
 dentalem tamen involvit, eumque necessarium non contingen-
 tem. De accidentis enim, ut modo ostensum, essentia est, exi-
 stere in subiecto: quod autem de essentia rei est, illud necessariò
 quoque ei inest.

§. XIX. Secunda Contradictentium ratio est, inherentiam
 apti-

aptitudinalem in subiecto convenientiorem esse ad accidentis essentialiam primumque eius conceptum exprimendum, cum aptitudo inhaerendi prior sit actuali inhaerentiâ in accidente, conceptum autem primum constituere rei essentialiam. Sed observandum, quod non quilibet conceptus prior in re poni possit locò essentiali, sed ille saltem, qui ratione causalitatis primus est, h. e. ex quo proprietates & operationes rerum originem trahunt. Illud autem, unde proprietates fluunt, est rei essentialia, quò proinde conceptus prior esse non debet. Sed aptitudo illa inhaerendi in subiecto non est prima ratione causalitatis, quia proprietates & operationes accidentium subiectis non insunt per aptitudinem inhaerendi, ac propterea essentialiam accidentis non constituit. Quis, quamvis actuali rationalitate in homine prior concipi possit aptitudo habendi rationalitatem, primum hominis conceptum dixerit aptitudinem ad habendam animam rationalem? Ex aptitudine enim habendi animam rationalem non fluit docilitas & actualis ratiocinatio, sed ex ipsa animæ rationali possessione. Licet proinde aptitudo inexistenti subiecto *ἄρτιον* prior quidem sit ipsâ actuali inexistentiâ, primus tamen non erit statim conceptus accidentis, quia non aptitudinali sed actuali inhaerentiâ operationes adscribuntur, quæ ab accidentibus fluunt.

§. XX. (3) Opponunt: Creatio non est in subiecto, quia est productio rei ex nihilo absque præjacente subiecto. Creatio autem est accidens: est enim actio. E. quoddam accidens naturaliter non est in subiecto. Cur E. supernaturaliter accidens existere posse extra subiectum negabitur? Variè hoc ipsum solventem vid. Philosophum quondam Celeberr. Stal. in qu. Log. qu. 23. §. 35. seqq. Paucis videtur responderi posse, negando, Creationem nulli subiecto inexistere. Observandum sc. est, ad subiectum non semper requiri, ut tempore prius sit accidente, sed sufficere, si saltem eò in ratione subiecti naturâ sit prius. Nulli quidem subiecto creatio inexistit tempore eâ priori, quia creatio ex nihilo subiectum producit, adeoq; cum eo, tanquam aetio subitanea, est simul tempore; inexistit tamen subiecto formaliter in ratione subiecti naturâ priori, quia creatio, quæ est il-

C
lup

lud accidens, naturaliter exigit ad sui existentiam sustentari à termino, qui per eam producitur, & qui, ut effectus, creatione naturâ est posterior, ut subiectum verò eâdem naturâ est prior. Distinguunt hîc nonnulli inter subiectum *adhæſionis* & *inhæſionis* & Creationi subiectum quidem *inhæſionis* denegant, *adhæſionis* verò adſcribunt. Sed nullam hîc video diverſitatem, *id enim quod ſubjecto adheret*, ſicut albedo adhæret parieti, *id ipſum quoque ſubjecto inherere* putamus. Hinc *creationem* etiam dicimus ſubjecto *inhæſionis*, licet *non tempore, naturâ* tamen, quatenus ſubjectum eſt, *priori* inexiſtere.

§. XXI. Accidens, ſic ſecundum naturam abſtractam explicatum, dividitur vulgò in novem Claſſes Prædicamentales, cujus diſtributionis modus poterit ſub hac exhiberi facie. Accidens vel eſt *entitativum*, vel *modificativum*. Accidens *entitativum*, quod ideò tale dicitur, quia habet entitatem propriam contradiftinctam ei quod afficit, eſt vel *actus primus* vel *actus ſecundus*. Accidens, quod eſt actus primus, vel imitatur *materiam*, ex qua immediate fluit, & dicitur *Quantitas*, vel imitatur formam, ex qua fluit, & dicitur *Qualitas*. Accidens, quod eſt actus ſecundus, vel denominat agens, & dicitur *Actio*, vel denominat patiens, & dicitur *Paſſio*. Accidens *modificativum*, quod dicitur tale, quia præter reſpectum, qui eſt modus, non habet entitatem diſtinctam ab eo, quod denominat, vel eſt reſpectus eorum, quæ dicuntur *ως εἰς τὴν ποῦτα*, & dicitur *Relatio*, vel eſt reſpectus rei durantis finitæ ad durationem deſectibilem, & dicitur *Quando*, vel eſt rei finitæ ad ſuum *ως*, & dicitur *Ubi*, vel eſt reſpectus partium ad ſe invicem, ut certò modò ſunt diſpoſitæ, & dicitur *Situs*, vel tandem eſt reſpectus rei adjacentis, & dicitur *Habitus*. De his Claſſibus Accidentium *in actu ſignato* conſideratio in Logicis ſuſcipi ſolet *communiter*: An autem id fiat rebus hiſce ſat convenienter, dubito. Vices exemplorum eas obtinere potiùs, ad oſtendendam terminorum prædicabilitatem, dixerim.

§. XXII. Haſtenus *de Accidente*, ſeu *de eo, quod alteri tanquam ſubjecto ως εἰς εὐς ineſt*, cujus cognitio requiſitis, facili quoque negotiò iudicabitur *de eo, quod alteri tanquam ſubje-*

Et

Et *accidens non inest*, cujusmodi ens dicitur *Substantia*, quæ
 Accidenti, ut ex dictis patet, *contradictorie* opponitur, ita ut
 medium inter hæc duo non detur. Sumitur autem *Substantia*
 (1) late & minus proprie pro ipsa definitione seu conceptu *quid-*
ditativo & ratione formali cujusq; rei, quò significatu etiam ac-
 cidentia suam habent substantiam vel *scilicet*. Et ita accipit *Phi-*
los. l. 7. Metaph. c. 3. (2) *strictè* & proprie, & h. m. rursus du-
 pliciter: (a) *generaliter*, ut opponitur accidenti; quò pacto
 & partes substantiarum substantiæ sunt (b) *specialiter*, pro
substantia completa.

§. XXIII. Substantia à *substando* denominatur, quòd ac-
 cidentibus *substet*. Ubi not. quòd etymologica hæc descriptio
substantiam explicet, *quatenus ex cognitione nostra* procedit;
 nos enim ex accidentibus pervenimus ad cognitionem *sub-*
stantiæ, & per habitudinem *substandi* eam primò concipimus;
 si verò rem ipsam *secundum se* consideramus, rò *per se existere*
 est ratio *simpliciter* prior *substantiæ*, & *sufficiens ad rationem ejus-*
dem formalem, remotò etiam *non* *substare* accidentibus. Quòd
 autem substantia finita *substet* accidentibus, id non tam *fluit*
 ex substantia, quàm limitatione & imperfectione ejus. Quid
 quòd vix repugnare videatur, produci substantiam creatam,
 posse, quæ nulli *substet* accidenti? In DEO perfectissima ratio
 substantiæ reperitur, dum maximè *in & per se* existit, etiamsi
 nullis *substet*, vel *substare* possit, accidentibus.

§. XXIV. Hinc in genere definitur *substantia*, quòd sit
ens per se existens. Ubi statim notetur, quòd rò *per se existere*
 h. l. non opponatur *non esse ab alio dependenter*, hòc enim sensu
 nulla profectò substantia creata foret substantia; sed opponi-
 tur *non esse in alio ut in subjecto inhesionis*. Hinc rectè *Arist.* dicitur
Ens, quòd non est in alio tanquam in subjecto inhesionis l. Cat.
c. 5. §. 12. Quid sit, substantiam non existere in subjecto in-
 hessionis, viâ oppositâ ex iis, quæ dicta sunt, colligi poterit.
 Innuitur nempe, quòd *substantia* (1) *vel planè alteri rei non*
inexistat, ab eaq; cingatur. H. m. *caelum extremum substantia*,
 est, quia alteri nulli inexistit, nec ab alio clauditur corpore. Pari-
 ter h. m. DEUS est substantia, quia, quamvis præsens sit parti-
 bus

bus mundi, ab iis tamen non clauditur, sed præterea extra hoc universum existit. Vel (2) quòd si substantia alteri reverà inexistat, ab eoq; clauditur vel contineatur, ipsa extra illud existere possit. Sic quamvis nos inexistamus vestimentis, ut ab iis claudamur & contineamur, attamen quia extra vestimenta existere possumus, ideò vestimentis ut subiecto *Ἐξωθεν* non existere dicimur. Vel (3) quòd si substantia reverà alteri inexistat & extra illud, ipso manente salvò, existere non possit, sufficiat, quòd substantia sit pars ejus, cui reverà inest, & extra quòd existere nequit. H. m. partes corporis essentielles, ut & integrales principales & minùs principales inexistunt corporibus non ut subiectis *Ἐξωθεν*, cum, quamvis extra corpora esse nequeant, iis partim quoad essentiam, partim quoad integritatem manentibus salvis, ipsis ut propriæ dictæ partes insint. Vel (4) quòd si substantia non sit pars ejus, cui reverà inest, & extra quòd existere nequit, sufficiat, quòd cum eo, cui inest, constituat ens per se, v. g. formæ materiales ex vulgata persuasione materiæ in tantum dicuntur esse affixæ, ut extra materiam nec naturaliter nec supernaturaliter existere possint. Quòd si persuasio hæc veritate nititur, quæri poterit, annon formæ materiales eandem habeant rationem formalem cum accidentibus? utpote quæ nec naturaliter nec supernaturaliter extra omne subiectum existere possunt. Per negationem necessariò respondendum est, cum formæ materiales, præter id, quòd commune habent cum accidentibus, hoc sibi peculiare vendicent, quòd cum materia, cui perpetuò dicuntur affixæ, constituent ens per se, accidentia, verò nunquam ens per se constituent cū subiecto, cui insunt. Vel (5) quòd si substantia non constituat cum eo cui inest, & extra quòd esse non potest, cuiusq; pars non est, ens per se, sufficiat, quòd essentialiter ab eo non distinguatur. Quòd ultimum requisitum ob Mysterium Trinitatis adjectum volumus.

§. XXV. Est autem substantia alia completa, alia incompleta, idque (1) ratione essentia. (2) ratione integritatis. (3) ratione subsistentia. Completam substantiam ratione essentia dicimus, quæ perfectam essentiam & speciem constituit, seu ea fit corporea seu incorporea aut spiritalis, Vel: quæ de se & sua natu-

naturā non ordinatur ad constituendum aliquod tertium per se; In-
completam verò ratione essentia, quæ per se extra compositum per-
fectam speciem non constituit, Vel: quæ per se ordinatur ad consti-
tuendum aliquod tertium per se. Sic homo quia ex sua natura,
non ordinatur ad constituendum aliquod tertium, quod sit ens
per se; ideo substantia dicitur in essendo completa; Anima ve-
rò hominis, quia ex sua natura ordinatur ad aliud ens per se,
constituendum, substantia dicitur in essendo incompleta.
Quia autem accidens etiam suam habet essentiam, ideo hæc di-
visio accidentibus quoque competit. Accidentis enim essentia
alia etiam est completa, alia incompleta. Sic habitus Meta-
physicus in se & integer consideratus non est incompletus,
quia per se non ordinatur ad aliud, cum quo ens per se consti-
tuat. Scientia verò de aliquibus habitibus Metaphysici capitibus
est incompleta essentia, quia per se ordinatur ad constituen-
dum habitum Metaphysicum tanquam ens per se. (2) ratio-
ne integritatis quoque substantia (quæ est ens partes integran-
tes habens, non enim in omnibus entibus hæc divisio reperi-
tur,) alia est completa alia incompleta. Completa est, cui nulla
pars integralis externa adesse debita deest. Incompleta verò est,
cui aliqua integralis minus principalis & externa pars adesse de-
bita deest. Sic homo mutilus, cui nempe aliqua pars integralis
minus principalis externa deest, ratione integritatis dicitur in-
completus; homo verò, qui habet omnes partes integrantes,
ratione integritatis est completus. Et hæc divisio quoque acci-
dentibus competit. Non enim partes integrantes dantur saltim
in substantiis, sed & in accidentibus, iisque tam materialibus
quàm immaterialibus. Sic calor in remissiori gradu ratione in-
tegritatis est incompletus; calor verò in excellentiori gradu ra-
tionem integritatis completus. Tandem substantia ratione subsi-
stentia vel est completa vel incompleta, quæ divisio ad solas
substantias restringitur. Dicitur autem substantia in subsistendo
completa, quæ præter essentiam peculiarem & propriam habet sub-
sistentiam. Incompleta verò in subsistendo, quæ præter essentiam
propriam subsistentiam non habet, sed vel subsistit subsistentiã ali-
enã vel eã planè caret. Sic homo est substantia in subsistendo

completa, quia habet subsistentiam propriam; *anima* verò *hominis* è *incompleta*, quia, quamdiu in corpore est, subsistit alienâ, hominis scil. subsistentiâ, si verò extra corpus est, subsistentiâ planè caret. Et hinc apparet, quòd *omnis substantia in subsistendo completa sit etiam completa in essendo*: Quicquid enim propriam habet subsistentiam, illud ad aliud suâ naturâ non ordinatur, ut illud constituat, adeoque in essendo non est incompletum. Sed non valet reciprocatio: Omnis substantia in essendo completa est etiam completa in subsistendo. *Potest enim substantia in essendo completa in subsistendo esse incompleta*. Porro exinde elucescit, quòd *non omnis substantia completa ratione integritatis sit statim completa in subsistendo, & contrâ*, v. g. *corpus humanum non mutilum* est ratione integritatis completum, non tamen in subsistendo completum dici potest. Et *homo, cui brachia demta*, ratione integritatis est incompletus, ratione verò subsistentiâ maximè est completus. Denique *substantia, quæ ratione integritatis completa est, sæpè ratione essentiæ est incompleta & contrâ*. v. g. *Corpus hominis organicum non mutilum*, ut ostensum, ratione integritatis est completum, in essendo tamen incompletum, quia ordinatur ad constituendum hominem. *Contrâ homo* in essendo completus ratione integritatis, ademtis sc. aliquibus partibus adesse debitis, incompletus redditur.

§. XXVI. Ut autem ratio substantiæ in *subsistendo completa* clarior evadat, not, quòd quatuor ad eam requirantur; (1) *ut non sit natura universalis, nec de pluribus adequatè talibus dicatur*. *Naturæ enim universales*, quia quoad realitatem, quam obtinent, non nisi in individuis existunt, ideò eorum subsistentiis etiam subsistunt, & subsistentiam propriam propterea non habent, quod tamen ad substantiam in subsistendo completam omninò requiritur. v. g. quia *homo* in universali non nisi individuorum subsistentiâ subsistit, substantia, in subsistendo completa esse nequit. (2) *ut alteri non insit ut subjecto* *ἑαυτῶν*. Id quod maximè est evidens: quicquid enim alteri ut subjecto *ἑαυτῶν* inest, per §. 8. non est substantia, adeoque neque substantia in subsistendo completa, (3) *ut alteri enti per se tanquam pars non insit*. Partem enim, dum

dum toti inest, propriam subsistentiam non habere, sed tantum subsistentiâ totius, cui inexistit, subsistere constat. Restringendum autem hoc est ad partem actu talem. Sic aqua gutta, quamdiu est actu conjuncta cum toto, aqua scil. illiusque pars est, incompleta dicitur, quamprimum autem disjungitur & separatur ab aqua, substantia in subsistendo completa censetur. Vid. Suarez. Disp. 31. Sect. 1. n. 9. (4) requiritur, ut si actu non est pars, etiam non habeat naturalem propensionem, ut fiat pars & totum constituat. Dicis, ergo neque gutta aquæ separata erit substantia in subsistendo completa, quod tamen antea asserbatur, cum, licet non sit actu pars, tamen apta sit, ut fiat pars. Sed Resp. partes integrantes similes, quales sunt aqua gutta, non habent propensionem naturalem ad totum simile constituendum, quia hoc non postulat certum & determinatum numerum partium. Sed tantum in iis est nuda non-repugnancia, quâ uniri cum toto possunt. Partes verò essentielles & integrales organica naturaliter ordinantur ad constituendum totum, priores quidem ad totum essenziale, posteriores verò ad totum integrale organicum, idque ideò, quia hæc certum & determinatum numerum partium postulant. Partes ergò essentielles & organica etiam extra unionem propriam, non habent subsistentiam. Hanc enim si haberent, ad aliud constituendam naturaliter non ordinarentur. Sic anima rationalis separata non est substantia in subsistendo completa, quamvis actu non sit pars, naturalem tamen propensionem habet, quam in statu etiam separationis retinet, ut corpori iterum uniatur, hominemque constituat. Sic quoque manus amputata substantia in subsistendo completa non est, quia, ut pars integralis organica, ex sua natura ordinatur ad corpus humanum. Hic probè insuper not. quòd, quando ad substantiam, in subsistendo completam requiritur, ut nec constituat nec habeat propensionem naturalem ad constituendum totum, hoc totum debeat esse ens per se, non per accidens. Si enim sit ens per accidens, possunt partes omnino in subsistendo esse completa substantia. Sic homo licet cum aliis civibus totum, civitatem, scil. constituat, nihilominus tamen manet substantia in subsisten-

sistendo completa, quia illud totum est tantum ens *per accidens*.

§. XXVII. Substantia hæc in *subsistendo* completa est *incommunicabilis* & aliàs *suppositum* vocatur, quod commodè definiiri potest per *substantiam incommunicabilem*. Ut rectius percipiamus quid sit *incommunicabile*, ejus oppositum, *communicabile* scil. prius explicabimus. Dicitur autem *communicabile* vel *ut quod*, vel *ut quo*. *Communicabile ut quod* est, quod pluribus tribuitur adæquatè talibus, quale est ipsum. H. m. *universalia* in ordine ad inferiora dici possunt *communicabilia*, quia omnia inferiora ex æquo & adæquatè habent essentiam, quæ in natura *universali* involvitur, sic *virtus* est *communicabile*, ut quod, quia totam suam naturam tribuit inferioribus, in omnibus enim hisce definitio virtutis, quæ est habitus mediocritatem actui introducens, reperitur. *Communicabile verò ut quo* est, quod alteri vel *ut pars inest*, vel *ut accidens inheret*, vel *saltem naturalem habet propensionem*; ut alteri per modum partis *insit*. Sic *corpus*, quod composito physico inexistit, est *communicabile ut quo*, quia est pars alterius, cui etiam essentiam suam communicat; tale quoque est eruditio, quia alteri ut *accidens inexistit*. Ex opposito *incommunicabile* quoque erit, tale vel *ut quod* vel *ut quo*. Illud erit, quod pluribus adæquatè talibus tribui non potest, & quoad rem nihil aliud est quam *singulare*, quod de pluribus adæquatè talibus affirmari nequit. Hoc verò, quod alteri ut *accidens non inheret*, nec *ut pars inexistit*, nec *naturalem habet aptitudinem & propensionem*, ut alicui per modum partis *insit*. Substantia proinde in *subsistendo* completa & *incommunicabilis* non potest esse *universale*, sed suam naturam ad *singulare* restringitur, ut tamen alteri ut subiecto *inexistens* non inhereat, nec alteri per modum partis *insit*, nec habeat naturalem propensionem ad inexistendum per modum partis, substantia verò *communicabilis* erit *substantia in subsistendo incompleta*, hæc enim potest esse vel natura *universalis*, aut *saltem* apta, ut de pluribus adæquatè talibus dicatur, vel *singularis*, ita tamen, ut alteri per modum partis aut inexistat aut *saltem inexistendi aptitudinem & propensionem naturalem habeat*.

Sub-

Substantiæ incommunicabili si superadditur *vis intelligendi*, dicitur *persona*, quæ nihil aliud est quàm *suppositum intelligens*. Hinc patet, quomodo *persona* & *suppositum* à se invicem differant, sc. ut angustius & latius, *O. persona est suppositum*, sed non contrà *O. suppositum est persona*.

§. XXVIII. Modus, per quem *Persona* subsistit, dicitur *personalitas*, & modus, per quem *suppositum* in esse suppositi constituitur, dicitur *subsistentia*, qui uterque modus, ut ex dictis patet, incommunicabilem infert existentiam, & efficit, ut res, quam denominat, sit substantia singularis, & nec sit pars alterius, nec naturalem habeat propensionem, ut fiat pars.

§. XXIX. Quæstio hinc agitur: *An subsistentia præter existentiam substantiæ singularis aliquid involvat, & an id, quod præterea involvit, sit vel negatio vel positivum quid?* (1) Subsistentiam præter existentiam substantiæ singularis nihil involvere asseruisse Durandum refert Suarez Disp. 34. S. 2. n. 4. Asserit idem, hanc fuisse Aristotelis sententiam existimari communiter, idque colligi ex l. *Metaph. c. 11.* ubi ait: *quod quid est* (h. e. essentiam) *esse idem cum eo cuius est.* (essentia.) Idem quoque sensisse videntur Suarezio omnes Philosophi fidei mysteria ignorantes. Juxta hos distinctio inter naturam & suppositum est solius rationis, ex modo eandem rem modò in abstracto modò in concreto concipiendi. Fluere quoque ex hac sententia, veras esse has locutiones, *homo est humanitas*, & *Petrus est sua humanitas*, easque locutiones Durandum concedere affirmat l. c. Suarez. Nituntur hujus sententiæ Patroni hæc hypothefi, quòd *suppositum* v. g. Petrus nihil aliud sit, quàm, *hoc compositum ex hoc corpore & ex hac anima*, quod ipsum est humanitas, & quicquid præter hoc cogitetur in substantia Petri, intelligi satis non posse, nedum probari aut persuaderi.

§. XXX. (2) Subsistentiam præter existentiam substantiæ singularis involvere modum positivum communis est doctrina, & amplectitur eam Suarez l. c. n. 20. Sententiam hanc probant communiter (1) *ex natura subsistentiæ creatæ, quæ est substantiæ creatæ complementum, eam in suo genere perficiens. Est autem substantia in subsistendo completa semper per-*

D

fe-

fectior substantiâ in subsistendo incompletâ , quia illa præter essentiam adhuc habet subsistentiam , quâ tamen hæc caret. *Quicquid autem est complementum substantiæ , illud in negatione poni nequit.* Sicut enim complere & perficere substantiam est positivus actus , sic quoque ipsum complementum perficiens positivum quid esse debet. Negatio quidem & privatio etiam rem quandoque complent & perficiunt , non autem formaliter , sed tantum arguitivè , cum sc. ex privatione mali arguitivè colligimus adesse bonum , quò res perficiatur . Sic ex absentia morbi perfectionem hominis sani colligimus , non quasi ipsa absentia morbi formaliter sit perfectio , sed quia cum absentia morbi conjungitur positiva entitas , sanitas nempe , unde subiectum formaliter perficitur. (2) *ex subsistentia divina* , quæ quia est positiva , etiam humana seu creata , quæ cum divina conceptu quodam genericò seu communi convenire debet , erit positiva. Ens enim & non-ens eundem conceptum genericum non habent , id quod tamen concedendum esset , si subsistentia creata negatio , quæ non-ens importat , statueretur. (3) *ex ipsis Scoti verbis* , quippe qui concedit , subsistentiam creatam præter essentiam propriam terminare posse essentiam alterius rei , ad eundem modum sicut subsistentia divine nature Christi præter essentiam propriam terminat quoque essentiam alienam , nempe humanam. Hinc Suarez infert & *κατ' ἀπορίαν* disputat : quomodo , inquit , terminari potest alterius essentia per negationem , cum terminatio sive sustentatio sit actus positivus.

§. XXXI. (3) *Subsistentiam præter existentiam substantiæ singularis involvere tantum negationem* , asseruisse dicitur Scotus , & ex eo B. Ebelius in suis Aphorismis *Disp. 13. §. 28. alique* affirmantes , suppositum creatum (in divinis enim personalitatem esse positivum quid , concedit Ebel. & insuper rationem Theologi communiter accersunt ex vera & reali personarum distinctione. Tres enim (ajunt) in una infinita & indivisa essentia divina constituuntur veræ & reales realiterque distinctæ personæ , quæ ideò non possunt poni in negationibus , sed necessariò dicendæ sunt modi positivi à se invicem

vicem realiter distincti,) nihil rei positivæ addere naturæ singulari, sed solam negationem dependentiæ actualis & aptitudinalis ad aliquod suppositum. *Rationes* addunt (1) quòd hujusmodi negationes sufficiant ad constitutionem suppositi creati & ad declarandum incarnationis mysterium, ac proinde *entia præter necessitatem non esse multiplicanda*, nec modum positivum præter existentiam substantiæ singularis esse ponendum in supposito. (2) quia concessio reali & positivo modò, esset aut *substantia* aut *accidens*. Non illud, quia neque materia neque forma, neque compositum nec spiritus; non hoc, quia aliàs creatum suppositum nõ esset ens per se existens. (3) quia *anima separata* subsistere potest in statu separationis sine positivo addito, quæ tamen substantia *incompleta* est, ut actu non dependeat ab alia. Imò accidens etiam separatum & per extraordinarium DEI concursum in rerum natura conservatum. Hinc multò magis, inferunt, id fieri poterit in natura substantiali singulari completa,

§. XXXII. Primam sententiam repudiamus & ad rationem in contrarium allatam Resp. cum *Suarez. d. l. n. 7.* quòd *materia & forma* sumantur dupliciter: (1) *præcisè*, ut sunt partes essentielles. (2) *non præcisè*, ut solùm sunt partes essentielles, sed etiam ut includunt vel secum afferunt *subsistentiam*. Illò modò si sumantur, negatur, suppositum nihil aliud esse, quàm compositum *ex hac materia & ex hac forma*: nam Christi humanitas composita est ex hac materia & hac forma, & non est suppositum: hòc verò modò si accipiantur, verum est, ex materia & forma unitis consurgere *suppositum*: illud autem præter naturam includit *subsistentiam*.

§. XXXIII. Ad rationes pro sententia secunda respondendum datà occasione in conspectu, & sententiam ultimam, quæ est *Scoti & B. Ebelii, Philosophi ex nostris celeberrimi*, in præsentiarum exercitii gratiâ defendere conabimur, moti duabus præcipuè rationibus prioribus ab illis §. 31. adductis. (1) Nulla quippe *necessitas* urget, multiplicationem entitatum positivarum in supposito creato statuere. Rationes contrariæ quæ urgent necessitatem concedendi modum in supposito positivum, illam in conspectu elevare conabimur. (2) Cum im-

diata detur oppositio inter substantiam & accidens, ut supra diximus, necessario dicendus esset modus positivus suppositi, si daretur, vel substantia vel accidens. Sed neutrum commode, ut *Scotus* ostendit. Nec satisfacit *Suarez Disp. 34. s. 4. n. 34.* dicens, hunc modum esse substantiam transcendentem, ut contradistinguat accidenti, non tamen esse entitatem, sed modum substantialem, atque ita non directe sed reductivè poni in prædicamento substantiæ. Unde facile, ait porro, respondetur illi interrogationi, quomodo subsistentia, non comprehendatur in illa divisione substantiæ in materiam, formam, compositum (& spiritum.) Dicimus enim, ibi dividi substantiam prout dicit propriam entitatem substantialem. Sed *Repugnantia* hæc à *Suarezio* asseri arbitramur, subsistentiam nempe esse substantiam transcendentem, h. e. metaphysicè acceptam accidenti contradistinctam, & tamen non esse entitatem, seu non habere propriam entitatem substantialem. Substantia enim metaphysicè seu transcendentem accepta accidenti contradistincta est *ens per se existens*. Ens autem per se existens anne absque entitate substantiali propria concipi, multò minùs dari, poterit? Vel itaque modus hic non est substantia accidenti contra distincta, vel, si est talis, habebit entitatem substantialem propriam. Si hoc, quæstio erit nova, an subsistentia, dum est substantia, sit substantia completa an incompleta? Si incompleta, quomodo aliam complebit substantiam, & annon alterius complementò indigebit? Si completa, quæstio iterum oritur, an per modum positivum realiter superadditum sit completa? De hoc modo eadem redibit, quæstio, & sic progressus fiet in infinitum, quod absurdum. Dum autem dicimus, suppositum esse substantiam singularem cum negatione dependentiæ actualis & aptitudinalis absque modo positivo, cum *Interprete Ebelii ex notis s. 27. Disp. 13.* adjectis cautum volumus, nos (1) non negare in divinis subsistentiam esse modum positivum. (2) nos non negare, in creaturis naturæ aliquid positivi superaddi posse per potentiam DEI absolutam ad suppositum constituendum, si ultima id urgeret necessitas. (3) nos non negare, posse dici modum impropiè. (4) nos non negare, suppositum à natu-

ra realiter differre. Sed (5) id, per quod suppositum creatum, realiter differt à natura, negari à nobis esse modum positivum, & sufficere negationem dependentiæ actualis & aptitudinalis sumtam cum existentia substantiæ singularis.

§. XXXIV. Quando substantia porro dividitur in primam & secundam, multum controversiæ oriri solet, qualisnam sit hæc divisio? quæ, quia ob paginæ angustiam hic pertractari nequit, multis vid. apud Suarez. *Disp. 33. Sect. 2. n. 2. seqq.* Nobis duplicem saltim hujus divisionis significatum annotasse sufficiet. Sumitur scil. *Substantia prima & secunda, vel in sensu Logico, vel in sensu Metaphysico.* In sensu Logico Substantia prima dicitur singularis & Arist. est, quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto aliquo est; Secunda verò universalis, quæ quidem non in subjecto est, de subjecto tamen dicitur, & sunt genera & species in ordine ad primas, quibus insunt. H. m. ut patet, præsens divisio est æquivoci in sua æquivocata. Substantia enim singularis, quia est res ipsa extra intellectum existens, & alteri ut subjecto non inest, vera & realis est substantia; Substantia verò universalis, quia est conceptus ab omnibus inferioribus substantiis abstractus, quò aliquid in subjecto non existere concipitur abstractè, non simul conceptis iis rebus, quæ nemine cogitante per se & extra subjectum existunt, non nisi æquivocè substantia dici poterit. In sensu verò Metaphysico substantia prima dicitur, quæ est independens, qualis solus DEUS est; secunda verò, quæ est creata, adeoque dependens. H. m. divisio hæc est analogi in sua analogata, quia quoad rem quidem de utraque dicitur, attamen inæqualiter, quæ inæqualitas in dependentia invenitur. Substantia prima dicitur talis partim ratione causalitatis, partim verò ratione dignitatis. Non enim solum omnium omninò rerum DEUS, tanquam substantia prima, est causa, sed & quaslibet dignitates & excellentias, licet non formaliter, virtualiter tamen & eminentissimò modò continet. Substantia secunda seu creata alia est materialis alia immaterialis: Utraque vel completa vel incompleta. Substantia completa immaterialis nobis est Angelus, qui Platoni demon; Aristoteli verò intelligentia dicitur, & definitur Spiritus creatus completus: per conceptum proprium priorem à DEO, per po-

steriorem verò ab *anima separata* distinguitur, quæ ideò *substantia immaterialis incompleta* est, & definitur *Spiritus creatus incompletus*. Incompletus autem dicitur, quia de se ordinatur ad complendum aliquod tertium, quod sit ens per se, scil. hominem. Substantia creata *materialis completa* dicitur *corpus*, quod est *substantia ex materia & forma constans*: *incompleta* verò alia *passiva* est, sc. *materia* seu *subiectum* cum forma unum corpus constituens; alia *activa*, forma sc. *materialis*, quæ est principium operationum, quæ proveniunt à corpore, cui per se & primò inest. Est hæc divisio substantiæ materialis eadem cum illa Arist. quæ substantiam dividit in *compositum*, *formam* & *materiam*. Pluribus hæc hic non pertractabimus, cum quælibet species peculiarem postulet considerationem.

Mantissa.

I.

1. Univocè prædicari non competere omni substantiæ, indicant substantiæ singulares, nec soli competere, innuunt accidentia universalia, quæ de suis singularibus sæpè univocè prædicantur. Unde substantiæ, *τὸ* univocè prædicari, ut proprium tribuendum esse negamus.

2. Nec *τὸ δὲ π* significare proprietatis nomen in ordine ad substantias sustinere arbitramur, cum nec omni substantiæ nec soli conveniat. Substantiæ enim universales non significant *τὸ δὲ π*. Et accidentia, quæ digitis ostendi possunt, *τὸ δὲ π* ex communi explicatione significare, concedenda sunt.

3. Non habere contrarium itidem nec omni nec soli competit substantiæ. Contrarietas enim propriè dicta, cum sit oppositio inter duos terminos positivos absolutos & præcisè pugnantes, substantiis non repugnare videtur. Et quantitates in se sumtas contrarietate carere, nemo non videt.

4. Non sola substantia non recipit magis & minus, sed & quantitates: Et analogia attributionis intrinsecæ, quæ
etiam

etiam in substantiis reperitur, ipsistò magis & minus recipere inferre videtur.

5. Non omnem substantiam contraria recipere, docet substantia omnium perfectissima, DEUS scilicet : Et non solam substantiam contraria recipere superficies ostendit, quæ non est substantia, propriè tamen eam in se recipere contraria vix quisquam negare poterit.

II.

1. Bellarminus cum *L. 3. de Sacr. Euchar. C. 24. ad 4. p. m. 379.* accidentia *supernaturaliter* extra subjectum existentia, in se existere ait non *positivè* sed *negativè*, contradicit suis fratribus, qui modum existendi accidentis extra subjectum perfectiorem ajunt inhaerentià accidentis in subjecto. Vid. *Vasquez. Disp. 149. C. 2.*

2. Modus positivus accidentis, quò Cardinalis *Lugo de Sacr. Eucharistia Disp. 10. f. 1.* accidentia separatim existere dicit, seipsum destruit. Erit enim vel substantia vel accidens. Utrumque *Lugoni* pariet absurditatem.

3. Modus existendi accidentis, quem *Vasquez Disp. 194. C. 2.* ita distingui ait à modo existendi per se substantiæ, quòd hic sit causa negationis existendi in alio, ille verò non sit causa negationis existendi in alio, sed negatione existendi in alio sit posterior, supponit accidentia, quæ separantur, prius esse sine subjecto & postmodum demum incipere per se existere, quod nos impossibile judicamus.

FINIS.

Eximio atque Literatissimo

DN. JOHANN. MARTINO Nattermann /

publicè disputanti

S. P. D.

Joh. Christoph. Hundeshagen / SS. Th. Lic. P. P.


Pergito sic, NATTRMANN, nunquam præconia laudis
Ti deerunt; ausus prosperet ecce DEUS!

Te

TE vigili studio nutrit Pallas amica,
Et doctos inter iussit habere locum.
Doctrinae specimen sistis, quod lumine spectat
Melpomene placido. Grator, & addo; BENE!
*Hisce Claredocto atque Politissimo DN. NATTERMANNO,
Fautori & Auditori meo Honoratissimo de specimine
Academico gratulari volui, debui,*
M. Joh. Adolph. Frohnus, Fac. Phil. Adj.

Un erhöhten Ehren: Thronen
Steiget man mit herben Schweiß/
Rühne Kämpffer finden Kronen/
Preis erfolget auf den Fleiß.
Drum Ihm auch nach Arbeits-Mühe
Ruhm beglängte Rosen blühen.
Seinem Treuesten Gönner und Freund wolte aus glückwünschendem
Gemüthe/ bey Vorstellung einer mercklichen Probe Seines bishe-
ro geführten Fleisses/ in aller Eil dieses wenige schreiben
J. P. G.

So recht/ wer Ungemach auch ganz und gar nicht achtet/
So Arbeit erst erregt/ und nur den Nutz betrachtet/
Darzu gedencket/ was er endlich bring dapon
Von seiner Müh und Fleiß der Tugend edlen Lohn.
Das wußt Er werther Freund/ drum hat Er nichts gespahret/
Nach Art der Natter sich in Grufften tieff verwahret/
Der seine Nahm ist zwar von Stamm Ihm zugeführt/
Das meiste aber doch von großem Fleiß herrührt.
Was in der tieffen Grufft der Künste lag verborgen/
Das hat Er iederzeit erforscht mit grossen Sorgen/
In kluger Männer Schrift hat Er sich wohl ergetzt/
Und allen Sinnen Fleiß auf freye Kunst gesetzt.
Wohlan/ Glück zu dem Fleiß/ Glück zu den grossen Ehren/
Der Höchste wolle sie von Tag zu Tag vermehren/
Daß wir auch dermaleinst Ihn wieder mögen sehn/
Mit neuen angethan in Purpur-Hute gehn.
Daniel Mileth / SS. Th. Stud.



00 A 6706

ULB Halle
002 916 622 3




56

Retro V

VD 12





N. D. 4
ACADEMICA,
ibens
TO
N ΔΥΣΙ
otelis,
D IN- ET
ECTUM EST,
uam-
SUBSTANTIA PRIMA
ad
ilosophicæ Consensum,
RISALANA
RÆSIDIO
I CL,
H. ADOLPH.
II, Mülhuf.
il. Adjuncti,
ium Examinei submittee
NUS Wattermann/
-Henneberg.
& R.
cIs Isc LXXVII.
ANNIS WERTHERI.